



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Paradisus mendax, Mu[n]di imago.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Pfal. 4. 3.

Surgunt in altum turres? tantò profundius cadunt. Florent, gaudent, jubilent pagi, arces, vrbes? Sed ecce, vno terræ hiatus hauriuntur, sepeliuntur, in cinerè rediguntur. Sic opes, sic honores, sic voluptates, sic ipsi homines euanescunt. Ergo, *filij hominū vsquequæ grani corde? vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendaciū?* Paradisum peccato primi parentis amisistis, in terris; pater mendacij vos decipit, si quis iam vobis, hic Paradisum promittit.

II.

Paul. Venet.  
lib. 1. cap. 28.  
Orient. hist.

In Persidis regno tyrannus quidam, Alaodinus dictus, vt memorat Paulus Venerus, Muletam regionem occupauit, multosque sicarios, quos Assassinos vocant, hoc astu sibi adiunxit. In valle quadam amoenissima, & præruptis cincta montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Machometes promittebat, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset, præterquam conscijs. Affirmabat interim, se clauis Machometici paradisi habere, & potione soporifera clam oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti cum omnibus delicijs affatim fruerentur, reuera, se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos rursus extra paradisum efferebat, eos ad omnia, quæ imperaret patranda, paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si Principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum Principum insidijs circumuentos, oppressit. Tandem An. M. CC. LXII. Allaris rex Tartarorum senem hunc in paradiso, triennali obsidione, ad deditiõnem, fame compulit; locum aboleri, & assecclas omnes interimi iussit. Talem paradisum fingit, & proponit multis, in terra, Stygius Alastor. Sed reuera, *velut somnium auolans non inuenitur, transiet, sicut visio nocturna.* Et tamen hoc somno tam multos fallit; vt ad nuncum habeant obedientes. Ita terram illis & terrena deprædicat, vt non tantum *adhereat pavimento anima* eorum, sed vt in ea se præcipites etiam perdere non dubitent, more M. Curtij, cum equo in cauerenam insipientis, ibi, vbi in ingentem sinum, Romæ terræ labes confederat.

Iob. 20. 8.

Pfal. 118.

III.

Quid enim non faciunt homines, pro terra, quam paradisi esse, sibi imaginantur? pro terra litigant, duellant, digladiantur.